

DE OPTIMO GENERE

ORATORUM.

ARGUMENTUM.

Hec est præfatio, quam Cicero conversis a se ex Græco in Latinum sermonem orationibus Æschinis in Cresphontem, & Demosthenis pro Cresphonte præmisit. Quo consilio id fecerit, cum ex ipsa hac scriptione intelligi potest, tum ex Quintiliano, lib. x. cap. 10. scilicet ut horum reprehensiones dilueret, qui ipsius dicendi genus nimis redundans, & Asianum, arque vitiosum esse dicebant. Ostendit ergo plerisque, quid sit Attice dicere, nescire, & atque optimum dicendi genus esse Atticum, hoc est, quod tenuia firmiter, mediocria mediocriter, summa graviter tractet.

ERNESTUS.

Hic liber, Charisii testimonio, cui sane multum tribuo, (nam Padianus, in argumento orationis pro Milone, ita loquitur, ut non affirmet) Ciceronis est: muribus tamen mihi videtur. Nam & suspectam habeo brevitatem nimiam: & illa pars de conversis duabus Græcis orationibus, Demosthenis, & Æschinis, nullam cum hoc libro societatem videtur habere posse. Aut enim præmium hoc est, præpositum duabus illis orationibus; aut liber est de optimo genere Oratorum. Si præmium: quorsum illa de Græcis oratoribus? quæ, si Charisio credimus, ad librum pertinent. Sin liber est: unde illa de conversione orationum? Præterea, in parte, quæ ad oratores pertinet, oratio significatur pro Milone habita, Cicerone jam senescente: at illas duas orationes non senior, sed adolescens potius convertisse Cicero videtur; ideoque Divus Hieronymus non admodum in ea conversione Ciceronis probavit industriam. MANUTIUS.

I. ORA-

I.



ORATORUM genera esse dicuntur tanquam poetarum. Id secus est. Nam alterum est multiplex. Poematis enim tragici, comici, epici, melici etiam, ac dithyrambici, quod magis est tractatum a Latinis¹, suum quodvis est diversum a reliquis. Itaque & in tragœdia comicum vitiosum est, & in comœdia turpe tragicum: & in cæteris suus est cuiusque certus sonus², & quædam intelligentibus nota vox. Oratorum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graves, aut copiosos: alios tenues, aut subtiles, aut breves: alios eis interjectos, & tanquam medios putet: de hominibus³ dicit aliquid, de re parum. In re enim, quod optimum sit, quaritur: in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere & Ennium, summum epicum poetam, si cui ita videtur; & Pacuvium tragicum; & Cæcilium fortasse, comicum.

Oratorem genere non divido⁴. Perfectum enim quero. Unum est autem genus perfecti, a quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Accio Terentius; sed in eodem non sunt pares. Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permovet. Docere, debi-

bitum

¹ Quod magis est tractatum a Latinis] Fortasse, quod magis est tractatum a Græcis, quam a Latinis. Muretus. Miror Ciceronem scripsisse dithyrambicum poema magis tractatum fuisse a Latinis, cum constet neminem usquam Latinorum carmen dithyrambicum composuisse. Itaque placeret, si hic locus ita legeretur, ut ex manuscripti libri corrupta scriptura, amicus meus homo doctissimus emendavit: Poematis enim tragici, comici, epici, melici, dithyrambici etiam ac iambici, quod magis est tractatum a Latinis. Urfinus. Memini, cum Romæ essem, hunc locum sic a Romulo Amafio restitui: quod minus est tractatum a Latinis.

² Certus sonus] Sonus in hoc genere verbum Ciceroni usurpatum in Bruto, c. 26. ubi de Fannii oratione quadam sic scribit: Sed nec ejusmodi est, ut a plerisque confusa videatur; unus certus sonus est totius orationis, & idem stylus. Statius.

³ De hominibus] Id est: Dicit aliquid de hominibus, quorum aliis aliis est dicendi character; pauca dicit de ipsa eloquentia, cujus idea perfectissima quaritur. Præfatus.

⁴ Oratorem genere non divido] Oratoris munus est docere, delectare, permovere: quo si quis non fungatur, inter oratores non numerabitur. Ut autem id aliis alio melius præter, non genere ipso, sed gradu distabit a cæteris. Poetæ differunt genere: qui enim in arte dramatica excellit, si minime sit epopœjæ peritus, is ab epicorum poetarum genere exclusus locum inter comicos tenet. Idem.

⁵ Idem. Idem.

bitum est: delectare, honorarium: permovere, necessarium. Hæc ut alius melius, quam alius, concedendum est. Verum id fit non genere, sed gradu. Optimum quidem unum est; & proximum, quod ei simillimum. Ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum.

II. Nam quoniam eloquentia constat ex verbis & sententiis, perficiendum est, ut pure, & emendate loquentes, quod est Latine: verborum præterea & propriorum & translatorum elegantiam persequamur: in propriis, ut aptissima eligamus: in translatis, ut similitudinem secuti, verecunde utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera sunt, quot diximus esse laudum. Sunt enim docendi, acuta: delectandi, quasi arguta: commovendi, graves. Sed & verborum est structura quædam, duas res efficiens, numerum & lenitatem: & sententiæ suam compositionem habent, & ad probandam rem accommodatum ordinem. Sed earum omnium rerum, ut ædificiorum, memoria est quasi fundamentum, lumen actio.

Ea igitur omnia in quo summa, erit orator pericissimus: in quo media, mediocris: in quo minima, deterrimus. Et appellabuntur omnes, oratores; ut pictores appellantur etiam mali: nec generibus inter sese, sed facultatibus differant. Itaque nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit: at Menander, Homeri noluit. Genus enim erat aliud. Id non est in oratoribus: aut si est, ut alius gravitatem sequens, subtilitatem fugiat: contra, alius acutiorem se, quam ornatiorem, velit, etiam si est in genere tolerabili, certe non est in optimo: siquidem, quod omnes laudes habet, id est optimum.

III. Hæc dixi brevius equidem, quam res petebat: sed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Unum enim cum sit genus, id quale sit, quærimus. Est autem tale, quale floruit Athenis, ex quo Atticorum oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos: alterum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitiosum in sententiis, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est. In verbis, si inquinatum,

si, inquit, quædam hæc sunt, quædam si

si abjectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. Hæc vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicuntur Attice. Sed quatenus valuerunt⁵, sani & fici duntaxat habeantur, sed ita, ut palæstrice spatari in xysto iis liceat, non ab Olympiis coronam petant. Qui cum careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quærunt, quandam etiam suavitatem coloris. Eos imitemur, si possumus: sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, (quod est proprium Atticorum) quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit.

IV. Quod cum faciemus, (si modo id ipsum assequemur: est enim permagnum) imitemur, si poterimus, Lysiam, & ejus quidem tenuitatem potissimum. Est enim multis in locis grandior. Sed quia & privatas ille plerasque, & eas ipsas alius, & parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse junior, quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverit. Quod qui ita faciet, ut, si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sane orator, sed de minoribus: magno autem oratori etiam illo modo sæpe dicendum est in tali genere causarum. Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere: elate Lysias fortasse non possit. Sed si eodem modo putant, exercitu in foro, & in omnibus templis, quæ circum forum sunt, collocato, dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum judicem diceremus; vim eloquentiæ sua facultate, non rei natura, metiuntur.

Quare quoniam nonnullorum sermo jam increbruit, partim seiplos Attice dicere, partim neminem nostrum dicere: alteros negligamus. Satis enim his res ipsa respondet: cum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur. Nam si arrideantur⁶, esset id ipsum Atticorum. Sed qui dici a nobis

Tom. I.

N n n n

Attico

⁵ Sed quatenus valuerunt] Edendum curavi, Sed qui hætenus valuerunt, libris omnibus reclamantibus, sententia ipsa, & ratione postulante. Hoc enim sentit Cicero: Qui hætenus valuerunt, ut vitia vitarent, loquendi genus: & malim, arrideatur. Mafani duntaxat, & fici habeantur, & liceat illis palæstrice in xysto spatari; non autem

coronam ab Olympiis petant; id est, non habeantur in principibus oratoribus; neque perfectæ eloquentiæ laudem ferant. Lambin.

⁶ Nam si arrideantur] Novum, opinor, loquendi genus: & malim, arrideatur. Mut.

Attico more nolunt, ipsi autem se non oratores esse profitentur, si teretes aures habent, intelligentque iudicium: tanquam ad picturam probandam, adhibentur⁷ etiam inficii faciendi cum aliqua solertia iudicandi. Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quidquam excellentium magnificumque delectat: dicant se subtile quiddam & politum velle, grave ornatumque contemnere: id vero desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos Attice dicere, id est, quasi sicce, & integre. At si ample⁸, & ornate, & copiose cum eadem integritate, Atticorum est: quid? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum; an etiam admirabilem esse cupiamus? Non enim jam quærimus, quid sit Attice, sed quid sit optime dicere. Ex quo intelligitur, quoniam Græcorum oratorum præstantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis; eorum autem princeps facile Demosthenes: hunc si quis imitetur, eum & Attice dicturum, & optime: ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit Attice dicere.

V. Sed cum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus: putavi mihi suscipiendum laborem, utilem studio: si, mihi quidem ipsi non necessarium. Converte enim ex Atticis, duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Æschinis, Demosthenisque: nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere.

Hic labor meus assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, & ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant. Sed exorietur Thucydides. Ejus enim quiddam eloquentiam admirantur. Id quidem recte: sed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. Aliud

⁷ Ad picturam probandam adhibentur] Re-
ctius puto, adhibentur. Idem.

⁸ Quasi sicce & integre. At si ample] Ita
locum hunc Lambinus restituit. Victorius,
quasi sicce & integre: & ample &c. Gruterus,

quasi sicce. At integre, & ample &c. Fed. au-
tem Morellus ita legit, & interpungit, eos
solos Attice dicere. Idcirco si sicce & integre,
& ample &c. iudicium esse doctorem.

est enim explicare res gestas narando, aliud argumentando criminari, crimenve dissolvere, aliud narratione tenere auditorum, aliud concitare. At loquitur pulchre. Num melius, quam Plato? Necesse tamen est oratori, quem quærimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum.

VI. Quare si quis erit, qui Thucydido genere causas in foro dicturum se esse profiteatur, is abhorreat etiam a suspitione ejus, quæ versatur in re civili & forensi: qui Thucydidem laudavit, adscribat suæ nostram sententiam. Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor Plato suum fere æqualem admirabiliter in Phædro laudari fecit a Socrate, quemque omnes docti summum oratorem esse dixerunt: tamen hunc in numero non repono. Non enim in acie versatur, & ferro; sed quasi rudibus ejus eludit oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Æschines⁹, tanquam Æserinus (ut ait Lucilius) non spurcus homo, sed doctus & acer,

Cum Pacidiano hic componitur, optimi longe

Post homines natos.

Nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse divinius.

Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur: unum hoc, Verum melius Græci. A quo quærat, equid possint ipsi melius Latine. Alterum, Quid istas potius legam, quam Græcas¹⁰ Nec Andromacham igitur, aut Antioquam, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium potius, quam Euripidem & Sophoclem legunt.

N n n n 2

⁹ Æschines, tanquam Æserinus] Hic Æ-
serinus fuit Samnis, id est, gladiator, &
compositus cum præstantissimo gladiatore Pla-
cidiano, seu Pacidiano, quem commemorat
Morat. Satyr. II. 7. 96. Proferuntur autem
hi versus a Nonio Marcello ex Lucilio, c.
4. in spatium:

Æserinus fuit sacce ore:

Samnis spurcus homo, vita illa digni,
lucane.

Cum Pacidiano componitur? optimi
longe

Post homines natos gladiator qui fuit unus?
Vide Tusc. I. 24. & ad Q. Frat. III. 4.
Lamb.

¹⁰ Quam Græcas] Verborum ordo hic est
apud Victorium, Manutium, & Gruterum:
quam Græcas. Idem Andream, & Synepbos:
nec minus Terevium, & Ceciliam, quam
Mandram legunt: nec Andromacham, aut
Antioquam, aut Epigonos Latinos recipiant: sed
tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium po-
tius, quam Euripidem & Sophoclem legunt.
Quod igitur &c.

legunt. Idem Andriam, & Synephebos: nec minus Terentium, & Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod igitur est eorum, in orationibus e Græco conversis, fastidium, nullum cum sit in verbis?

VII. Sed aggrediamur jam quod suscepimus, si prius exposuerimus, quæ causa in iudicium deducta sit. Cum esset lex Athenis, *Ne quis populi scirum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu prius, quam rationes reculisset*: & altera lex, *Eos, qui a populo donarentur, in concione donari debere: qui a senatu*¹¹, *in senatu*, Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosque refecit pecunia sua. De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur: eaque donatio fieret in teatro, populo convocato: qui locus non est concionis legitimæ: atque ita prædicaretur, *EUM DONARI VIRTUTIS ERGO, BENEVOLENTIÆQUE, QUAM ERGA POPULUM ATHENIENSEM HABERET.*

Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Æschines, quod contra leges scripsisset, ut & rationibus non relatis corona donaretur, & ut in teatro, & quod de virtute ejus, & benevolentia, falsa scripsisset; quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate. Causa ipsa abhorret illa quidem a formula consuetudinis nostræ: sed est magna. Habet enim & legum interpretationem satis acutam in utramque partem, & meritorum in rempublicam contentionem sane gravem. Itaque causa fuit Æschini, quoniam ipse

¹¹ *Qui a senatu*] Vulgo, *quis in senatu*. Demosthenes &c. Quam labem omnibus in conditionibus inveterasse hætenus, eo mirere magis, quod anno jam M. D. XCVI. Federicus Morellus malo remedium attulerat, data in lucem hac opella, *cum insigni*, ut ipse inscripsit, *emendatione loci hætenus descripti*. Qui locus hic ipse est, in quo nunc versamur. Atque ita quidem Moretum emendasse, restis est liber a me olim inspectus Romæ, de quo in præfatione admonui. Quid, quod eandem Petrus Faber, uti ex conjectura sibi oblatam emendationem proponit, in commentario ad Ciceronis Lucillum, cap. 4. Quis igitur hanc lectionem prius concipiendi divinaverit, incertum est: sed ne-

gligere illam nec debuerant critici posteriores, nisi forte ignorabant, neque ego volui. Duces hic fane quatuor meos omitto: at fidem illis eatenus obligavi, ut fas mihi esset aliquando ab eorum recedere consensu; hoc est, ubi non posset videri dubium, quin a Cicerone ipsi recederent. Esse autem ab illius manu quod edendum curavi, ambigere nemo, qui Atticarum in Legum collectione, Tit. VI. n. 3. *De præmissis bene de Rep. meritum*, eam viderit legem, quam hic Talilius respexit, & Latine sic reddidit, ut prope verbum verbo: *Εἰς τὸν τοῦ δὲ δήμου δὲ Ἀθηναίων ἐκαστοῦ, ἢ τῶ ἐκαστοῦ τοῦ σίγουτος ἀποδοθέντων. καὶ δὲ δὲ βέλων, ἢ τῶ βέλων τεταγῶν.* Olivetus.

ipse a Demosthene esset capitis accusatus, quod legationem e mentitus esset, ut ulciscendi inimici causa, nomine Ctesiphontis, iudicium fieret de factis, famaque Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod civis improbus, ut optimus, laudatus esset. Hanc multam Æschines a Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: sed iudicium factum est aliquot annis post, Alexandro jam Asiam tenente: ad quod iudicium concursus dicitur e tota Græcia factus esse. Quid enim aut tam visendum, aut audiendum fuit, quam summorum oratorum in gravissima causa, accurata, & inimicitii incensa contentio?

Quorum ego orationes si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, & earum figuris, & rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro, (quæ si e Græcis omnia conversa non erunt, tamen ut generis ejusdem sint, elaboravimus) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice volunt dicere. Sed de nobis satis. Aliquando enim Æschinem ipsum Latine dicentem audiamus.

